Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1579

Quelle:
Copyright:

enim non fecimus vobis reuelationem ideo, quia quidquid vobis dixiſſemus, non credidiſſetis nobis; expectauimus finem, ut ſoli conſpiceretis. Nos cum bene ſciuimus, quia iſte Legatus nil boni faciet in regno iſto, ymo in tota curia romana nullus eſt maior aduerſarius, qui contrariatur ſancte veritati, niſi iſte: iam ipſi conſpicitis et videtis, quia etiam nuper in ſcandalum totius regni communicabatur ſub una ſpecie, et ille aduerſarius miſſus eſt huc non ideo, ut Rokozanum confirmaret, aut ſanctam veritatem promoueret; ſed ideo, ut nos exploraret, tanquam traditor, referendo ſecreta noſtra apud ſedem apoſtolicam et per totum mundum nos macularet. Nunc igitur reuelabimus vobis legationem, quam ibi fecimus. Primo, dum fuimus in via equitantes Romam, dictum fuit nobis, quod impoſſibile eſt Rokozanum promovere in Epiſcopum; Item dictum erat nobis inique agunt domini veſtri et contra eorum honorem, quod aliqui publice ſigilla ſua applicauerunt veſtre legationi et occulte. Item domini ſcribunt ſuis propriis literis et ſub eisdem ſigillis, que vos habetis, deberent vereri et confundi, pro illo tres domini ibidem ſe excuſauerunt, dominus de roſen, quod ipſe non fecerit talia; reſponderunt ſibi domini, nos ſcimus bene qui ſunt tres, et ſi tu eſſes non haberemus verecundiam tibi dicere in faciem. Item dixerunt nobis, gratis ſtatis circa illam communionem, tamen qui erit archiepiſcopus dabit excommunicationem ſuper Bobemos et ſuper illos, qui tenent bona ſpiritualia (eccleſiaſtica) et faciet interdictum ſacerdotibus, ne celebrent diuina et tunc cito opportet vos conuerti et facere ſecundum alias nationes. Item dixerunt nobis; gratis laboratis pro archiepiſcopo et gratis eligitis Rokozanum, cum ad vos non ſpectat electio, eo quod dudum ſuper papam deuolutio facta eſt et ſua omnia iura propter temporis diuturnitatem. Item dixerunt cuiusmodi eſt iſta veſtra electio, ubi electionem et literas a capitulo pragenſi habetis? Item dictum eſt alicui alteri, quod ſuſcipiet archiepiſcopatum, qui bonus eſt et catholicus et non hereticus, qualem vos pape preſentaſtis: videte, ne cum eo eſſetis eombuſti et cremati inuicem. Item dictum eſt nobis, quod rex romanorum cum capitulo pragenſi dederunt archiepiſcopatum alteri, quem etiam Nicolaus papa ad eundem confirmauit. Item, dum uenimus ad curiam romanam, optauimus publicam audientiam coram tota Chriſtianitate et non potuimus eam habere. Verum quidem miſſi fuimus ad papam et ad eius Cardinales et ibidem papa nobiſcum pulchre loquebatur, ſed verſute non ex corde et iam hic ſinguli videtis ea in re eſſe et finaliter conſideratis, qualiter ſtat hic Legatus in ſuis dictis et omnia nequiter facit. Item Henricus doctor Holtezenſis de palacio papali dixit nobis, quod multa ſunt erronea in iſto regno, ideo opportet, quod eſſet epiſcopus aliquis ſapiens ytalicus vel alterius

alicuius